

## ARTICULUS III.

## DE SENTENTIA ET RE JUDICATA.

652. *Præmitto.* Postquam conclusum in causa, proceditur ad sententiam. Sententia vero est pronuntiatio facta rite ac legitime a iudice, rei controversæ decisionem continens.

Dividitur 1<sup>o</sup>. in *definitivam* et *interlocutoriam*. Definitiva est, quæ controversiam principalem definit, seu litem terminat, vel absolvendo, vel condemnando. Interlocutoria, quæ tantum quæstionem incidentem, seu emergentem determinat summarie, interim adhuc pendente principali negotio. Quandoque tamen etiam interlocutoria terminat principalem causam, sed solum indirecte; atque tunc dicitur habere vim *definitivæ*, vel dum pronunciat causa deserta, vel peremptoria aliqua exceptio admittitur. Differunt præterea 4: quod a definitiva detur appellatio; non ab interlocutoria, nisi vim definitivæ habeat, vel damnum irreparabile contineat: 2. quod definitiva revocari nequeat a iudice; secus interlocutoria: 3. quod interlocutoria possit ferri sub conditione, non definitiva.

2<sup>o</sup>. In *justam*, quæ est conformis non solum *juri constitutionis*, id est, legibus, statutis, consuetudinibus; sed etiam *juri litigantis*, sive prolata secundum merita causæ: et *injustam*, quæ est contra jus alterutrum, vel constitutionis, vel litigantis.

3<sup>o</sup>. In *validam*, quæ habet omnia substantialia vel solemnitates a jure requisitas. Harum aliæ sunt *intrinsecæ*: 1. ut non sit contra jus constitutionis clarum et manifestum; alias hoc ipso nulla esset, nec egeret appellatione, *c. 1. h. t. L. 2. C. quand. prov. non est necess.* 2. Ut sit conformis libello, h. e. ut iudex non super alia re, quam quæ in libello fuit petita; nec ex alia causa, quam ex qua petiit actor, pronunciet, *Clem. 2. de V. S. L. 18. ff. comm. divid.* 3. Ut sit certa, h. e. certam et determinatam rei petitiæ absolutionem, vel petitionem continens, *L. 3. 4. C. de sent. quæ sine cert.* 4. Ut sit absoluta, sine conditione extrinseca et contingenti de futuro, *L. 1. ff. quando appell.* Valebit tamen, si conditio intrinseca sit, connexa cum negotio controverso, velut: *condemno te, si intra 8. dies non solveris.* 5. Ut non sit lata sententia ex instrumentis, testimoniis *notorie falsis*, vel quæ probantur esse falsa, *L. 1. 3. C. si ex fals. Instr.* Quo etiam pertinet, si sententia sit *injusta notorie*. An vero etiam, si in sententia falsam causam expresserit iudex? controversum est. Affirmat BARTOLUS: negant FACHIN. FELIN. PICHEL. in *Jur. Can. pract. explic. Decis. LXX.* Aliæ solemnitates sunt *extrinsecæ*, 1. ut sententia recitetur ex scriptura, *periculo* vel *breviculo*, *c. ult. h. t. L. 2. C. de sent. ex peric.* 2. a iudice ipso; hodie tamen etiam per alios, syndicum, etc. recitari sufficit. 3. Citatis partibus, quod tamen majoribus in judiciis non obtinet. 4. Quod debeat ferri in loco iudicii consueto, justo tempore, non die feriato, noctu, *L. 3. C. quomod. et quand. Jud. sent.; etc.* E contra *invalida* erit, quæ in uno alterove ex requisitis deficit.

4<sup>o</sup>. Sententia demum alia dicitur *homologata*, alia *non*. Homologata est;

quæ transit in rem judicatam. *Res judicata* vero est lis terminata per iudicis sententiam, partiumque approbationem vel expressam, vel tacitam. Tacite autem approbare partes censentur, quando a sententia lata non appellant, ob cuius appellationis neglectum sententia dicitur *transire in rem judicatam*; idque aliquando *absolute*, ut in perpetuum retractari non valeat; aliquando *conditionate*, *rescindibiliter*, ut retractari valeat, si detegatur error, falsa probatio. De quo nunc plura in sequentibus.

653. *Dico I.* Sententia injusta, sive notorie talis; sive talis, quia in ea non servatus juris ordo; velut si non admittat probationes necessarias iudex, etiam in iudicio summario, si pronunciet ante conclusionem in causa, si iura partis, contra quam pronunciat, sint notoria, etc. sive demum sit certo injusta ex causa; nec valet, nec obligat. Est communis DD.

Ratio primi est, quod hæc sententia sit ipso jure nulla, *c. 1. h. t. L. 2. C. quand. prov. non est necesse.* Non entis vero nullæ sint qualitates. Ratio secundi sumitur ex *Clem. 2. de V. S.* Iudex enim procedens non servando juris ordinem, non agit ex potestate publica; ergo nec tunc obligare potest. Ratio tertii petitur ex *c. 9. h. t. et L. 1. ff. quæ sent. sine appell. rescind.* Accedit, quod sententia sit lex quædam particularis in facto aliquo particulari; sed nulla lex injusta obligat. Unde restitui debet in conscientia, quod per sententiam ita injustam obtentum est.

654. *Dico II.* Transit sententia regulariter in rem judicatam, si intra 10. dies a die sententiæ intra præsentem computandos neutra pars, cum tamen posset, non appellet ad superiorem iudicem, *Can. 28. Caus. 2. q. 6.* quo etiam corrigitur jus antiquum, quod intra duos, tresve dies appellandum volebat; item *c. 35. §. fin. de Elect. et 15. h. t. tum Auth. hodie. C. de Appell.* Quia videlicet, si intra hos 10. dies non appelletur, præsumitur omnia legitime fuisse acta in iudicio; ac partes ob suam acquiescentiam in sententiam consentire, ac juri suo in futurum renunciare.

Dictum 1<sup>o</sup>. *inter præsentem*; nam si lata sit in absentem sententia, qui procuratorem non habuit, decem dies, non a die sententiæ latæ, sed a die illi intimatæ computantur.

Dictum 2<sup>o</sup>. *regulariter*; excipi enim debent casus sequentes, in quibus sententia in rem judicatam non transit: 1. quando est nulla; sententia enim ipso jure nulla, utpote non ens, nihil operatur; sed de ejus nullitate usque ad 30. annos agi potest, et retractari debet vel a iudice superiore, vel ab ordinario ipso, qui sententiam tulit, cum in hoc casu appellatio non sit necessaria. Talis est sententia lata contra jus constitutionis clarum; lata a iudice non competente, *c. 4. de Judic.* lata ex instrumentis falsis, aut testibus corruptis, *L. 1. C. si ex fals. Instr. c. 9. de Testib.* a iudice corrupto, emptæ pretio, *L. venales. C. quand. prov. non est necess.* lata per injustitiam apertam, aut quam ipse victor ait iniquam.

2. In causis, in quibus observatio sententiæ non est sine peccato, *arg. c. fin. de consuet. et c. fin. de Præscr.* ut in causa matrimoniali quoad valorem matrimonii; nam hic non pendet a sententia iudicis; unde et talis sententia nullo ævo evadit firmâ.

3. In causis criminalibus, ut reo non supersit amplius locus defensionis, L. 18. §. *penult.* ff. de *quæstion.*

4. Si lata sit sententia ex probationibus privilegiatis et præsumptivis, ut ex consilio Doctorum, iudicio peritorum in arte, ex iuramento suppletorio: hoc enim parte altera invita deferitur; ergo si postea afferatur probatio alia clara, infirmatur iuramentum. Huc et pertinet sententia lata ex testimoniis de credulitate. Retractatur igitur hæc sententia, si postea afferantur probationes certæ et evidentes.

5. Si causa reedit ad non causam, L. 17. ff. *commod.* ut, si res commodata, quæ credebatur amissa a commodatario, ideoque ab hoc ejus pretium solutum commodanti, sed postea a domino vel in suis bonis reperta, vel recuperata, debet pretium restitui a domino pro utroque foro; daturque idcirco commodatario actio contra dominum, scilicet *conditio sine causa.*

6. In fisco et causa publica, L. 35. ff. *de re jud.* Cui annumerantur causæ pupillorum, item piæ, et similes favorabiles per L. 3. C. *de Jur. Reip.*

655. Dico III. Sententiæ, quæ transiit in rem judicatam, effectus sunt sequentes:

1º. Inter litigantes facit jus, præsumptionem veritatis, imo veritatem, et præsumptionem juris et de jure; ut deinde non admittatur in contrarium probatio, L. 1. C. *de sent. ex peric. recit.* L. 25. ff. *de Stat. Hom.* L. 207. ff. *de R. J.* ubi: *Res judicata pro veritate accipitur.* Quia alias nullus esset litium finis, L. 2. C. *de re jud.* Adde: c. 15. h. t. Nec refert, quod postea nova instrumenta reperiantur, vel detegatur error, L. 4. C. *de re jud.* c. 20. h. t. nisi instrumenta suppressa fuissent adversarii dolo; ut ex æquitate sentiunt communiter Doctores cum GODOFRED. *ad L. 4. C. de Jur. Reip.* et LAUTERB. *ad ff. eod.* Nec, quod postea secuta transactio, L. 32. C. *de Transact.* vel nova sententia, L. 1. C. *quand. prov. non est necess.* Excipe tamen casus num. præc.

2º. Lata pro actore parit actionem *judicati*, seu rei *judicatæ in factum*, vi cujus actor victor petere potest, ut condemnatus præstet omnia, ad quæ est condemnatus per sententiam, L. 4. *pr. et* §. 2. 3. 4. L. 6. §. 2. 3. L. 15. *pr. ff. h. t.*

3º. Lata in favorem rei, huic confert *exceptionem rei judicatæ*, vi cujus reus, ejusque hæredes se perpetuo tueri possunt contra tam actorem, quam et hujus hæredes, contraque hos excipere, ne ab his eodem super debito conveniantur, *tot. tit. ff. de Except. rei jud. c. 20. seqq. h. t.*

656. Dico IV. Transitus sententiæ in rem judicatam etiam locum probabilius habet pro interno foro, sic ut debitor absolutus a debito per sententiam, si tamen bona fide litigaverit, sit liber in conscientia a solvendo debito, postquam sententia in rem judicatam transiit, etsi tunc comperiat, se vere debitorem fuisse. Ita PICH. WIESTNER, et ab hoc citati HOSTIENS. KOSELL. GARZ. tum alii contra alios.

*Prob.* Pro casu, quo sententia transiit in rem judicatam, jura dominium transferunt in victorem; ergo hic tutus est in conscientia, sicut qui præscripsit. *Prob. Ant.* Quia tunc volunt, ut sententia jus faciat inter litigantes, velut c. 13. h. t. ubi INNOCENTIUS III. *Quantum*, ait, *ad litigantes ipsos, jus*

*ex sententia factum fuit, postquam in rem transiit judicatam, etiamsi contra jus litigatoris lata fuisset.* Item volunt hanc sententiam pro veritate haberi, L. 207. ff. *de R. J.* Sed jus dici non potest, quo quis sine peccato, injustitia, aut alterius injuria uti non potest: item veritas haud dubie pro foro interno valet; ergo. Neque dici potest, citatis locis solum asseri, quod per sententiam, quæ in rem judicatam transiit, fiat jus; quod sententia sit habenda pro veritate, quamdiu non constat, alterum fuisse vere debitorem. Nam primum repugnat verbis finalibus cap. cit. *etiamsi contra jus litigatoris lata fuisset*; ergo, etiamsi hoc postea constet. Alterum inde corrui; quia, sententiam habendam esse pro veritate, si non constet, quod in iudicio absolutus fuerit vere debitor, nemo unquam aut dubitavit, aut dubitare prudenter potest; igitur plus L. cit. asseritur; nimirum, quod eo casu sententia sit habenda pro veritate, licet postea detegatur contrarium.

*Conf. 1. L. 36. ff. Famil. erisc.* denegatur repetitio rerum hæreditariorum ab illo, qui per sententiam fuerat declaratus cohæres, licet post transitum hujus sententiæ in rem judicatam deprehensum fuerit, eum reipsa cohæredem non fuisse. L. 1. C. *de Condict. indeb.* negatur repetitio pecuniæ ex causa *judicati solutæ.* Ergo transitus sententiæ in rem judicatam liberat absolutum in iudicio etiam pro foro conscientiæ; quia, quando manet obligatio naturalis, datur repetitio soluti, per regulam satis receptam, L. 10. ff. *de O. et A.* Unde sicut post præscriptionem legitime completam non est in conscientia obligatio restituendi rem præscriptam, etsi tunc constet, quod res præscripta vere fuerit aliena; ita in præsentis controversia se habet; quia, dum jura voluerunt per transitum sententiæ fieri jus inter partes, illam haberi pro veritate publici boni causa id ordinarunt, sicut in præscriptione.

*Conf. 2. L. 38. ff. de LL.* res judicata vim legis habet; sed leges pro foro quoque conscientiæ vim habent. Nec obstat, quod addatur, rerum *similiter judicatarum* habere auctoritatem legis, unde videtur inferri posse, quod vim legis una tantum sententia non habeat: nam inde solum sequitur, quod, si res similiter judicatæ sint, ex uniformi decisione fiat *lex publica*; quo non obstante etiam sententia unica vim legis privatæ habet inter partes litigantes.

Dictum in *Concl. modo bona fide litigaverit*; qui enim temere, vel cum juris alieni scientia litigavit, haud dubie, etsi vicerit, ac sententia in rem judicatam transierit, obligatus manet in conscientia ad restituendum, sicut qui mala fide præscripsit, ac quicumque alius malæ fidei possessor.

657. *Obj. I.* Qui læsit infra dimidium justii pretii, licet absolvatur in foro externo, non tamen liberatur ab obligatione naturali supplendi defectum justii pretii. Idem est de eo, qui conventus ex pacto nudo absolvitur per erroneam sententiam, vel qui metu levi aliquid extorsit; ergo pariter hic.

*II. L. 28. et 60. ff. de Condict. indeb.* verus debitor, licet in iudicio absolutus, manet naturaliter obligatus; ergo.

*III. L. si fullo. 2. ff. de Condict. sine causa. et L. In commodato. 17. ff. Commod.* permittitur repetitio solutionis, quam conductor, ac commodatarius ex locato, vel commodato conventus ob rem locatam, vel commodatam amissam fecerat, si res postea fuerit recuperata; ergo manifestum est, vi-

ctorem, erronea sententia absolutum, per rem judicatam non reddi absolute tutum in conscientia.

IV. In c. 2. de purgat. vulg. INNOCENTIUS III. ei, qui furti in judicio condemnatus fuerat, postquam innocentia ejus detecta fuit, universa restitui præcipit, quæ illius prætextu criminis illi fuerant ablata; non obstante, quod sententia transiisset in rem judicatam.

V. Sententia judicis fundatur in præsumptione justitiæ et meritorum causæ, c. 13. in fin. h. t. Sed præsumptio debet cedere veritati, maxime pro foro conscientie; ergo.

658. Ad 1<sup>am</sup>. R. Tam qui læsit, quam qui egit contra pactum, aut metu licet levi aliquid extorsit, in mala fide est; nec his leges positive assistunt, tribuendo jus, sicut in casu nostro; sed habent se negative, non dando actionem illi, qui pactum nudum iniit, metu levi injusto aliquid extorsit, læsit. Quamquam moribus hodiernis, de consuetudine etiam detur actio ex pacto nudo juxta n. 470.

Ad 2<sup>am</sup>. R. In L. 28. sermo est de eo, qui licet absolutus, nihilominus sponte solvit; quo casu recte negant jura repetitionem soluti; eo quod tunc donasse censeatur per L. 52. ff. de R. J. ubi: *cujus per errorem dati repetitio est; ejus consulto dati donatio est.* L. 60. vero procedit de eo, qui, debiti conscius, mala fide litigaverat, ut colligitur ex ipsa lege; ideo enim debitor *lite contestata* jam solverat ante sententiam, quod alias non fecisset, nisi conscius fuisset debiti; supponit lex, constituisse, eum vere debitorem fuisse; talem enim appellat, comparatque illi, qui sic promisit: *sive navis ex India venerit; sive non*, etc. Sed ita promittens conscius est debiti. Adde: in hac lege nihil dici de casu, quo sententia in rem judicatam transiisset; ergo hic ex aliis legibus decidi debet.

Ad 3<sup>am</sup>. R. C. A. D. Cons. Si causa redit ad non causam C. in sensu conclusionis N. Sed casum, quo causa redit ad non causam, ipsi jam supra excepimus.

Ad 4<sup>am</sup>. R. N. Cons. Sententia enim cit. cap. relata, obnoxia fuit retractationi; quippe lata ex probatione falsa, a jure reprobata; nimirum ex sola purgatione vulgari per duellum; ideoque non transiit in rem judicatam absolute, sed rescindibiliter etiam pro foro externo; ac proinde rescindi debuit, falsitate detecta. Itaque nobiscum respondere debent adversarii, ne alias contra ipsosmet sequatur; nequidem pro foro externo rem judicatam aliquid operari. Quæ retorsio in aliis adversariorum argumentis locum habet.

Ad 5<sup>am</sup>. R. D. M. Fundatur in præsumptione justitiæ, et meritorum causæ secundum se præcise spectatæ C. quoad firmitatem, et auctoritatem suam N. Quoad firmitatem, si in rem judicatam transierit, nititur, sicut præscriptio, auctoritate legali, et bono publico, sive Reipublicæ, cujus salus, ut jam pridem aiebat Cicerō orat. pro Sylla, rebus judicatis maxime continetur; cum publice magis expediat, ut sententiæ firmæ sint, quam semper justæ. Unde et leges quæ sententiam post transitum in rem judicatam haberi pro veritate volunt, et pro jure constituunt; non in præsumptione meritorum causæ, sed bono publico fundantur.

## APPENDIX

## DE VIRTUTE RELIGIONIS.

EX OPERE DE JUSTITIA ET JURE

R. P. LEONARDI LESSII, S. J.

## CAPUT I.

DE RELIGIONE IN GENERE.

## DUBITATIO I.

QUID SIT RELIGIO.

1. Nomen *Religio* ductum est vel a *relegendo*, quod ea, quæ ad Dei cultum pertinent, sæpe animo sint revolvenda et veluti relegenda, ut vult ISIDORUS, L. 10. Etymologiarum c. 17. ex Cicerone: vel a *reeligendo*, quod per eam Deum, quem per peccatum rejecimus, reeligamus, ut inquit AUGUSTINUS, L. 10. de civitate c. 4.: vel a *religando*, quod Deo nos astringat et alliget; ita LACTANTIUS, L. 4. divin. instit. c. 28. D. AUGUST., L. 1. retract. c. 13. et D. HIERONYMUS in cap. 9. Amos, quæ derivatio maxime videtur nomini et rei consentanea.

2. Definitur a D. AUGUSTINO, L. 83. QQ. q. 31. ex Cicerone hoc modo: *Religio est virtus quæ superioris cujusdam naturæ, quam divinam vocant, cultum ceremoniamque adfert.* Planius sic: *Religio est virtus quæ debitum cultum Deo, tanquam primo rerum omnium principio exhibet.* Ubi

Notandum est, sicut hominibus ob potentiam, sapientiam, virtutem, et cujusvis perfectionis excellentiam, debetur quidam cultus, seu honor, quo illam eminentiam cum quadam nostri demissione testemur; ita Deo ob singularem et infinitam excellentiam in omni genere perfectionis quam habet ut Deus est, seu ut primum principium et supremus omnium Dominus, debetur quidam singularis honor, veluti tributum quoddam ab omni creatura rationali; quo illius excellentiam et suam subjectionem et in omnibus dependentiam testetur. Ad hunc honorem exhibendum inclinât *Religio*. Itaque objectum Religionis est omne testimonium, et signum sive internum,